




HARVARD
COLLEGE
LIBRARY.


SIGILL: COLL: HARVARD: CANTAB: NOV: ANGL: 1650.
CHRISTO ET ECCLESIAE
BOUGHT WITH
THE INCOME FROM
THE BEQUEST OF
MRS. ANNE E. P. SEVER,
OF BOSTON,
Widow of Col. James Warren Sever,
(Class of 1817,)
24 June, 1884.

GLOSSAE

quae PLACIDO non adscribuntur nisi in libro glossarum.

Recensuit illustrauit auxit

Dr. A. DEUERLING,
gymnasii Ludouicensis professor.

Programm

des k. Ludwigs-Gymnasiums

zum

Schlusse des Studienjahres 1875/76.



MÜNCHEN
Akademische Buchdruckerei von F. Straub
1876.

I.

Praefatio.

Placidi glossas, quas Angelus Maius a. 1831. primus ediderat (Class. auct. t. III), deinde Reinholdus Klotzius a. 1833. paucis notis aspersas repetierat (Jahn. Jahrb. Zweit. Supplementb. p. 439—471. et p. 485—492.), nuper apud Teubneros in lucem nos emisimus recensitas atque illustratas. quo in libro eas tantum attulimus glossas, quas a Luctatio Placido uere scriptas esse et Placidi libris et libri glossarum testimonio confirmatur. de eo cum iudicium faceret Gustauus Loewius, multas emendationes in medium protulit partim certissimas partim haud improbabiles (Jen. Literaturz. 1875. p. 1. sq. Rhein. Mus. 1875. p. 55. sq.) nonnullis locis etiam J. N. Ottius lucem attulit (Zeitschr. f. d. Oester. Gymn. 1876. p. 171—173.).

Sunt qui dicant, in Placidi libris numerum glossarum primo maiorem fuisse idque hinc perspici, quod cum literarum ordine sint dispositae, quo propius ad finem accedas, earum numerus eo magis minuatur. similiter Loewius, eo quod multa uerba, e quibus illa codicis Salmasiani praefatio anthologiae latinae praefixa conglutinata est, in glossis Placidi occurrunt, cetera quoque praefationis uocabula uetusta, quae hodie in Placidi glossematum numero non iam leguntur, ex

eodem glossographo decerpta esse iudicat (Rhein. Mus. 1875. p. 63.) hoc si uere dicitur, has glossas uix duobus interiectis saeculis in Placidi libris intercidisse statuendum est. nam cum earum nulla in glossario magno, quod ducentis fere annis post Placidi tempora compositum esse putatur, servata sit, eas in Placidi codicibus, quibus quidem glossarii magni auctores usi sunt, iam ante illud tempus excidisse suspicari oportet.

At in libro glossarum permulta glossemata ad Placidum auctorem referuntur, quae in codicibus Luctatianis nunc frustra quaeruntur. quae cum ab eis, quae in Placidi libris scripta sunt, longe discrepent, ab his plane separanda sunt. nonnulli quidem loci in libro glossarum Placido tributi, cum antiquum quendam colorem habeant, ad Plautum, Ennium, Lucilium aliosue auctores priscos aliquo iure referri possunt, uelut *acceptorem capsit capso cocistrio cornipeta diribitores escit exodiarius extima facie gestatiuncula hala haut clam fuit hautne iantaculum ilicet interfiat mentis mergier manticulare murgiso neminis noctipugam nullum persola properiter quid nisi.* qui si Placido iure adscribuntur, libros Placidi eo tempore, quo libri glossarum opes comportabantur, multo uberiores fuisse iudicandum est. sed pleraeque glossae, quae in libro glossarum Placidi nomen ferunt, uel ad Virgilium explicandum uel ad Ouidium, Lucanum aliosque auctores non ita uetustos compositae sunt uel ad res grammaticas pertinent. id quidem non omnino negari potest, illorum quoque glossematum, quae nuper nos uulgauimus, aliqua ad carmina Virgiliana scripta esse uideri posse, ut *ingluuiem* (Georg. 3, 43.), *limbo* (Aen. 2, 616.), *pellacis* (A. 2, 90.), *Penthesilea* (A. 1, 490), *pelta* (A. 1, 491.), *spiris* (A. 2, 217.), *sublegi* (Ecl. 9, 21.). uerum ab his ea

glossemata Virgiliana, quae Placido non adscribuntur nisi in libro glossarum, et ipso genere differunt et librariorum culpa glossographo nostro falso tributa uidentur. iam in praefatione ad glossas Placidi p. XIII exposuimus, primam glossarum praescriptionem fuisse 'de glossis Placidi', postea compendio facto alias 'de glossis' alias 'Placidi' scribi solitum esse, idemque in Virgilii glossis et in Isidori locis accidisse. sic facile potuisse fieri, ut librarii, ubi notam 'de glossis' uidissent, doctrinae suae ostentandae causa non nunquam 'Placidi' nomen ipsi ponerent, cum ea nota Virgilii uel Isidori glossa significaretur. hanc coniecturam eo firmari puto, quod loci quidam, quibus in aliquot libri glossarum codicibus 'de glossis' adiectum est, in aliis Virgilio uel Placido uel Isidoro tribuuntur. similiter etiam glossemata Placidi uere propria in libro glossarum modo notam 'Virgili' modi 'Isidori' modo 'de glossis' habent. illis testimoniis, de quibus iam alio loco disputauimus (praef. ad Plac. p. XIII.), haec addi possunt: glossis *caelicolae* et *caelicus* in codice Bernensi 'Placidi', in Palatino 'de glossis' praescriptum est, glossis *gargaron hariolus orama persola* in Vercellensi 'Placidi', in Palatino 'de glossis', denique, id quod maximi momenti esse arbitror, glossa '*Aspera, hirta, ferox*' in Vercellensi 'Virgilii' in Palatino 'Placidi' nomen appositum habet. pariter locis Isidorianis nomen Placidi et Luctatianis nomen Isidori adscriptum est. neque tamen dubitauimus glossas Virgilii et Isidori huic libello inserere, primum quod sic optime cognoscitur, quid ubique Placido adscribatur, tum quia Isidorus, Placidi potissimum compilator, haec quoque ex eo surripuisse potest.

Ceterum neque decernere potuimus, unde eae glossae, quibus uocabula graeca ad res grammaticas pertinentia

plerumquo breuissime explanantur, ut *exameter polyptoton syncope syndesmos* etc in librum glossarum irrepserint, neque utrum iure an iniuria ad Placidum referantur.

Eas igitur glossas, quae tantum in libro glossarum Placido tribuuntur, Maius e codice Palatino nr. 1773. anno 1834. palam fecit (Class. auct. t. VI p. 554 - 574.). in hanc editionem si quis diligentius inquisiuerit, eum socordia magna, ne dicam temeritate ac negligentia rem suam egisse reperiet. primum enim plures glossas, quas ipse iam uulgauerat, iterum posuit nihil mutatas, uelut *aegre conieci eguisse experimini hinnire hispido protendi secus,* tum ex glossario magno quarundam, quas iam in Class. auct. t. III in lucem ediderat, glossarum formas mendosiores ita petiit, quasi emendatiores essent, cf. *crapula exitiorum inciente meriorem tabes* etc. id quidem non utique reprehendam, quia sic melius utrorumque fontium ratio perspicitur, sed illud uituperandum est, quod Maius, cum res sibi incognitas nulla mentione facta ex se ipse corrigeret, saepe uitia non eiecit sed inuexit. uelut cum in glossario magno pro *Cocetum*, *a Graeco*, *κυκεῶνα* [*cocina*] corrupte haec scripta essent: *Coetum agrum kakiana cocina,* Maius glossa in duas partes diuisa alteram partem sub lit. C, alteram sub l. K posuit. iam alio loco ubi in libro glossarum '*aexitiorum*' uel '*ad exitiorum*' legitur, Muellerus autem '*axitionum*' scribendum censet, Maius '*exitiorum*' scripsit, quod vocabulum literae E subiecit. deinde glossas '*tabes*' et '*tabe*' ita commiscuit, ut cum *morbus maciei*, *aegritudo* pro *morbo macie aegritudine* corrigeret, ipsi rei tenebras offunderet. quid quod in glossa '*humanitus*' ea uerba omisit, quae ipsi obscuriora uidebantur, tum s. u. '*cyprus*' uerbis quibusdam ultro adiectis uim loci plane obscurauit, deinde

permultis locis scripturae rationem nulla mentione iniecta mutauit, ut in glossis *exameter hironia iantaculum austui sterologia sublinguium trisema*, denique ex duabus glossis unam composuit, praesertim ubi paria lemmata uiderat, ut s. uu *citius faciem praesidium progeniem properiter psile quidnisi spiris thesis supellex syndesmos.*

Maxime uero Maius rem perturbauit, eo quod illas glossas, quibus in libro glossarum nota 'de glossis' adscripta erat uel quae adscriptione carebant, recipere non dubitavit, tanquam ab ipso Placido compositae essent, alias autem omisit, quae in Palatino quoque codice, quem adhibebat, Placido tribuuntur. huius licentiae specimen cum Augustus Wilmannsius iuris publici fecit (Rhein. Mus. XXIV, p. 363 sq.), tum Guilelmus Meyerus plures alias glossas, ubi idem a Maio peccatum esse apparet, nobiscum communicauit. qua in re hanc rationem secuti sumus, ut quae glossemata Maius e Palatino protulit, ea huic libello non intexeremus, nisi etiam aliis aut codicibus aut testimoniis ea Placido adscripta esse cognoueramus. Maius enim multa Placido tribuit, ubi nota 'de glossis' praeposita erat uel ubi nomen auctoris deerat, dummodo glossa Placidi nomine instructa antecessisset. sed quamquam nota 'de glossis' saepenumero Placidi glossas recte significat, tamen ea glossemata, quibus 'de glossis' praescriptum est, recipere non ausi sumus, ne omnia incerta fierent. saepius enim huiusmodi loci ad Virgilium, Isidorum aliosue referendi sunt. item glossematum anonymorum multa quidem ad Placidum pertinent, sed longe plura ad alios auctores.

Nunc ad eas glossas uenio, de quibus codices glossarii magni inter se dissentiunt, uelut in Bernensi his glossis nomen Placidi praepositum est: *caelicolae, caelicus, escit.*

his in Vercellensi: *capessire* (*obaudire)*, *caelibes* (*adulescentes sine uxore)*, *cir* (immo *cirta)*, *dispuit* (*inpletur)*, *facie*, *enigmatistes*, *epiphora*, *gargaron*, *hariolus* (*iocabundus)*, *heiula*, *ilico*, *meauires*, *miscius*, *munifex*, *naidas*, *nunc*, *olynthum* (*graeciae* sc. *urbem)*, *oblimet*, *ortogorre* (*fluuius indiae)*, *orama*, *patronymica*, *peiuro*, *referunt* (*reportant*), *relegit*, *secreti (in secreta parte)*. quarum has reiecimus *capessire* et *caelibes*, quia nec Bernensi nec Palatino libro ad Placidum referuntur, et utrumque locum glossae uere Luctatianae sic excipiunt, ut in Vercellensi auctoris nomine careant. deinde *cirta* omisimus, quia etsi in vpm Placido tribuitur, Bernensi codice uetustissimo rectius Paulo id est Orosio adscribitur. item repudiandum censuimus *enigmatistes*, cui glossae in p nomen Origenis additum est, tum *miscius*, quia in p glossae antecedenti *miscillani* notam 'Placidi' praepositam reperimus, item *olynthum* et *ortogorre*, ubi 'Placidi' ex breuiato nomine Pauli uidetur ortum. adde quod duo supremi loci nullis aliis testimoniis Placido tribuuntur.

Quod *sumptophanech* a limine remouimus, etsi codices vpm notam 'Placidi' habent, eius rei causam afferre superuacaneum uidetur. ceterum hic locus ex Isidoro decerptus ipse documento est, quomodo aliena ad Placidum falso translata sint. iam uero glossas *hariolatur* et *persola*, quarum illa ad Plaut. mil. 4, 6, 41., haec ad curc. 1, 3, 35. uidetur referenda esse, excludendas non esse eo censuimus, quod utrique glossemati in vp 'de glossis', illi in c ipsius Placidi nomen adiectum est. quodsi quis temere nos fecisse dixerit, hoc aequo feremus animo, cum praesertim eae glossae quasi margaritae multis quisquiliis immixtae sint. similiter rem egimus in glossa *ilicet*, quae Placidi nomen non habet nisi in libris minoris pretii (mrw). at etiam apud Paulum Festi

104, 15. legitur: *Ilicet, sine dubio*, idque sic locatum, ut paruo internallo a glossa *iugarius uicus*, quae et ipsa apud Placidum exstat, separata sit.

Haec dicenda fuerunt de Placidi glossarum additamentis. restat ut pauca adiciamus ad nostram Placidi recensionem. 20, 10 sic scripsimus codices Placidi secuti:

Colum, colatorium, uel unde mulieres nent.

Libri glossarum autem codices haec habent:

Colum, colatorium.

Colum, colonẽ, unde mulieres nent.

non liquet, utrum auctores glossarii magni ex una glossa duas fecerint, ut lexici usui seruirent, an in Placidi libris duae glossae in unam conflatae sint. sed illud certum uidetur *colonẽ* non tollendum sed scribendum esse '*colomen*' id est columen. nam in libris posterioris aetatis saepissime scriptum reperimus *colomellas colomelli colomis incolomis* etc. cf. lib. gloss. *Colus est instrumentum laneficii et dictum colus, quod in longitudinem et rotunditatem quasi columna sit.*

73, 10. nos ita scripsimus:

Oppido, [*quem*] *admodum. sed nunc valde.*

recte Mich. Zinkius: *Oppido, quondam 'admodum'* etc.

Librorum notae.

b	=	codex	Bernensis.
v	=	„	Vercellensis.
p	=	„	Palatinus.
a	=	„	Bambergensis.
m	=	„	Monacensis 14429.
r	=	„	Ratisbonensis 2. (nunc Monac. 13002.)
w	=	„	Windbergensis 1. (nunc Monac. 22201.)
Isid	=	„	Isidori etymologiae.

A

Ab alto, caelo.

Abigeus, latro.

Absque me, sine me, absente me.

Accentus est sonus productus.

Acceptorem, accipitrem.

Aculeum ab acu diminutiue.

Ad lusum, ad iocum.

Adtonitus, attentus siue fulmine tactus siue mente perculsus.

Aequimanus appellatur, qui utraque manu gladium incunctanter utitur.

Allegoria, cum 'aliud' uerbum legis, non 'consuetum'.

Anadiplosis, replicatio.

Animae. huius animae genetiuo casu.

Aperire, annuntiare.

---

2 Abigeus *Maius (p)*: Abiieius *b*, Abileius *v*, Abieius *m*, Abigeius *r et gloss. Amplon.* **3** Absque me *hanc glossam Maius omisit, item* **4** Accentus *rlq.* **7** iocum *p*: lacum *b corr.*, luctum *v*, ludum *a* **10** gladium *bvamr*: gladio *Maius et Isid. 10, 21.* **11** utitur *bvpa*: accipit *m*, tenet *r.* **12** Allegoria cum *scripsi*: Allegoricum *libri* | aliud *scripsi*: altum *bpa*, alitum *v* | non consuetum *nos*: inquisitum *libri* **14** Animae *bva*: Anima *Maius (p)*

1 ab alto] *refer. ad Virg. A. 1, 297. uel G. 1, 443.* **4** accentus] *est perperam definitus, cum uno genere species posita sit. cf. Seru. de Finalibus K. 451, 10.* **6** aculeum] *falso explicatum. nam* aculeus *non est deminutiuum, sed denominatiuum.* **8** adtonitus] *refer. ad Virg. A. 3, 172.* **10** aequimanus] = *Isid. 10, 21.*

Aspera, hirta uel ferox.

Austui, potui. dicitur enim 'esui' et 'austui', id est manducando et bibendo.

B

Ballista, genus machinae, qua sagittae plus arcu iaciuntur.

Barbarostomos dicitur homo, qui barbarismis plena profert uerba.

Bimuli, animantes bimatum agentes. dicuntur enim et trimuli trimatum agentes, id est bimuli trimulique.

Bipennis, securis ambas partes acutas habens.

Bucina erit tuba, qua signum dat bucinator. bucinus ipse canor.

C

Caelicolae, caelestes.

Caelicus, caelestis.

Caesim, quasi limitate aut dolate. Quintilianus: 'membratim caesimque dicimus'.

---

1 hirta *scripsi*: herta *v*, erta *bp* **2** Austui *scripsi hic et infra*: Astui *libri*, Haustui *Maius*, *qui glossam sub H collocauit* | potui *nos*: potaui *libri* | aesui *ba* **3** manducando et bibendo *v*: manducandi et bibendi *bpam* **4** Ballista *bp S. Germ.*: Balista *vamr* | qua *bamr*: que *v Germ.*, qui *p* . **6** Barbarostomos *gloss. Vat.* (*u. Class. Auct. ed. Maius 6, 510)*: Barbaristomos *bvmr*. *hanc glossam omisit Maius.* **8** dicuntur enim et trimuli trimatum agentes *bv*: *om. Maius.* [3 Bipennis 4 Bucina 6 Caelicolae 7 Caelicus *has omnes glossas Maius omisit*] **10** Bipĕnnis *vaGerm.*: Bipinnis *bm* **11** erit *bvm et Velius Longus l. c.*: eris *aGerm*, erea *r m. 1.* | qua *Velius Longus*: quasi libri **13** caelestes *nos*: celestis *bp* **15** limitate *nos* (*cf. graec ἀφοριστικῶς*): limate *bvpa*, limita *Germ.*, militate *rw*

1 aspera] *refer. ad Virg. A. 5, 730 etc.* **11** bucinus] = *Velius. longus de orth. P. 2243, 8.* **13** caelicolae] *ref. ad Virg. A. 2, 627.* **15** caesim] *Quint. 9, 4, 126.*

Chalybes nudi masculinum.

Calles genere masculino uiae tritae transitu pecorum, unde 'callum' et 'callidos' dicimus.

Camuris introrsum respicientibus graece. unde camuris cornibus contraria patula dicuntur. camura cornua, flexibus rotunda.

Candet, fulget uel candidum est.

Capere, eligere, ut: 'ante locum capies oculis'.

Capiat, fruatur.

Capsit, ceperit.

Capso, cepero.

Captare, occupare uelle.

Castellum, castra. ab eo quod est castrum, diminutiue nomen formauit.

Catasceue, destructio.

Caulas, stabula.

Caupilus lignum cauatum quasi cumba, id est uelut carabum ualde breuissimum. hoc enim alio uocabulo lintrem uocamus et alia appellatione lembum dicimus, quod quidem caupilum, cumbam, lintrem, lembum nauiculam minutissimam siue carabum ualde breuissimum intellegere debemus.

Cessantem, tardantem aut morantem aut desinentem.

---

1 Chalybes, *Virgilius*: Cabiebes *uel* Cabiabes *libri* **3** callidos *bv*: callклос *p*, callidus *Germ. mr* | dicitur *libri* **4** Camuris *Virgilius*: Camiris *bvpa*, Cameris *Germ.* | graece *scripsi*: crocce *Germ.*, croce *bv* **5** camura *scripsi*: camuris *libri* **7** Candet *a*: Candit *bvpGerm.* | fulgit *b* **10** coeperit *bvm* **11** coepero *bv* **14** formauit *nos*: formabit *rw*, firmauit *va*, firmabit *bm* **15** Catasceue *et item* 10 Castellum *omisit Maius.* **20** caupulum *Maius (p)* **23** Cessantem *et* Cassantem *bva* | desinentem *et altero loco* deserentem *bva*

1 chalybes] *refer. ad Virg. G. 1, 58.* **4** camuris] *refer. ad Virg. G. 3, 55* **8** capere] = *Seru. in Virg. A. 1, 396.* **15** catasceue] *confudit Placidus cum ἀνασκευή.* **16** caulas] *refer. ad Virg. A. 9, 60.* **17** caupilus] *cfr. Isid 19, 1, 25.* **23** cessantem] *refer. ad Virg. A. 3, 429.*

Cinis cineris generis masculini. omnia nomina latina simplicia inanimalium in .is. desinentia nominatiuo casu singulari masculina sunt, ut funis crinis, excepto 'bipennis', quia bipennis conpositum est [graece].

Citius, prius.

Cladibus, calamitatibus, miseriis.

Cocistrio graecum est, id est tabernarius.

Coire sine h scribendum.

Colon neutrum est, ut 'uel quodlibet colon'.

Comptos, conpositos, ornatos.

Concameratum, curuum quasi conuersum seu inclinatum et ad modum circuli flexum.

Concilias. maiores minoribus conciliantur. conciliari autem dicuntur noui amici, reconciliari ueteres.

Concors, conueniens, consentiens.

Confieri pro 'fieri' adiecta praepositione: hoc Virgilius. Terentius uero: 'hoc confit quod uolo et spero'.

Conluuione, collectione sordium.

Conperendinare, in diem tertium reicere.

Conperimus, cognouimus.

Conpos, cuius conpletum est desiderium.

---

3 excepto bipennis *a*: *om. bvp* **9** uel *om. Maius (p)* **16** Concors *Maius (p)*: Concon *bvmr* **20** diem alterum *Maius* **22** cuius completum est *Papias*: conpletum *libri. hanc glossam item 1* Conprobauit *et 3* Consulta (pag. 15) *omisit Maius.*

6 cladibus] *referendum uidetur ad Ouidii met. uel 9, 176. uel 14, 485.* **7** cocistrio] *immo latinum est et uocabulo* cocio *affine.* **9** colon] *August. ap. Donat. in uita Virgilii n. 12.* Ut sibi de Aeneide uel prima carminis hypographa uel quodlibet colon mitteret. **10** comptos] *refer. ad Virg. A. 10, 832.* **13** concilias] *refer. ad Virg. A. 1, 78. cf. Seru. ad h. l.* Jouemque concilias hysteronproteron in sensu. non enim Jupiter conciliatur Aeolo, sed Aeolus Joui. conciliantur autem noui, reconciliantur antiqui. **17** confieri] *ref. ad Virg. A. 4, 116. Ter. Ad. 5, 8, 23.*

Conprobauit, manifeste ostendit.

Consilium, uoluntatem.

Consulta, interrogata.

Consumo consumis facit. consumere enim perdere est.

Continuo significat iugiter, tractim, perpetuo, sine fine. sine intermissione. alias 'statim'.

Contra aduerbium, ut 'contra faciens'.

Conuexo. conuexum est, quod in modum circuli flexum est. conuexo nomen est, non participium.

Corde, ex animo.

Cornipeta, bos ferus.

Coton cubiculum graece. cotonem ergo, quod Carthago habet, in quo naues clauduntur, recte cubiculum dicimus.

Cribrum setacium ad pollinem.

Cunabula, infantiae cunae. sunt panni, in quibus infantes obuoluuntur.

Curriculum, cursum temporis.

Cyprus, ziziphum, in expositione legimus cantici canticorum, quod est tenue.

D

Dehiscent, patescent.

Deperit, inhonesto amore aestuans inlecebrae renititur.

---

4 *hanc glossam omisit Maius, item u. 5. et 8. et 10 et 11.* — **7** Contra significat *bva* **8** Conuexo *scripsi*: Conuexum *bv* **12** cotonem *nos*: coitonem *b*, coiton *mr* **17** inuoluuntur *Maius (p)* **19** ziziphum *scripsi sec. Plin. N. H. 12 § 109. et sec. Bedam in l. c.*: sisipum *p*, sisipam *bv* **20** tenue *Papias*: taenae *Maius*, tene *v*, zene *b* **21** Deiscent *b*, Dehiscet *Maius (p)*, Deiscet *va* | patescet *uel* patescit *libri* **22** inlecebra *libri*

5 continuo] *refer. ad Virg. G. 1, 60.* **8** conuexo] *refer. ad Virg. A. 1, 310.* **11** cornipeta] *lib. gloss.* Cornipeta, qui cornu petit quemquam. **16** cunabula] *refer. ad Virg. E. 4, 23.* **19** cyprus] *Cant. Canticorum lib. 4, c. 4, 14.* **21** dehiscent] *refer. ad Virg. A. 6, 52.*

Detrudunt, expellunt, liberant.

Dies secundum artis regulam feminini generis est, cum significat tempus. eius diminutio diecula est. ablatiuus casus producta .e. littera terminatur, ut: ‘ab hac die’, ‘ab hac re’, ‘ac hac specie’. uerum masculino genere dicendum in trina obseruatione retinemus: in qualitate, numero, adverbio. qualitate, ut ‘serenus dies’, non ‘serena dies’. numero, ut: ‘bis quinos silet ille dies’, non ‘bis quinas’. aduerbio: ‘hodie’ non ‘hac die’. ceterum diecula nihil praeiudicat, quia multa diminutiua recedunt a nominibus primae positionis, ut scutum scutula scutella, canis canicula, rana ranunculus.

Digamiae tuae illi dicitur, qui secundam uxorem habuit.

Dipsades, genus serpentum.

Diribitores erant, qui suffragia populi in tabulis scripta separabant.

Disceptatio, iudicium.

Discerniculum, ornamentum capitis uirginis.

Discretum, diuisum, separatum.

Dispuit, inpletur.

Diuersom, in diuersum, contrarium.

Dolosus, insidiosus, malignus.

Dudum, olim, iam dudum.

---

4 et *libri* | terminatur *pa*: terminatus *bv* **5** uerum *bva*: uix *Maius* **6** retinemus *om. Maius* **8** non serena *Seruius l. c.*: numero serena *libri* **10** multa *Seruius*: nihil *bva* **14** *glossas, quas u. 14. 17. 23. posui, omisit Maius* **17** Diribitores *nos*: Dirimitores *libri* **18** reparabant *libri* **19** Disceptatio *vp*: Disceptio *bmr* **23** Diuersom *b*: Diuersum *vpa* **24** malignus *va*: indignus *Maius*

1 detrudunt] *refer. ad Virg. A. 1, 144.* **2** dies] *hic locus maximam similitudinem habet cum Seru. Aen. 2,* 324. *uerba* bis quinos silet ille dies *u. ap. Virg. A. 2, 126.*

E

Edax. uorator insatiabilis.
Edurum, satis durum.
Efferre pedem, egredi, proficisci.
Effigiem, imaginem.
Elabitur, praecurrit celeriter.
Elogium, responsum.
Emanat, procedit.
Eminus, † proxime.
Emolumentum, adquisitio cuiuscunque rei.
Enigmaneum, genus masculinum.
Enochilis, piscis stagneus id est anguilla.
Epigramma, adbreuiata scriptura.
Epimenia, xenia quae dantur per singulos menses.
Epiphora, muccus equorum.
Epithymiticon, concupiscibile.
Este inperantis modus est temporis praesentis pluraliter dictum. estote similiter de futuro: este sunto, este sint, este estote.
Escit, erit.
Exameter, uersus qui et senarius dicitur.
Exanclandi, peragendi.

---

2 Edurum *et* Exdurum *a* **4** *hanc glossam omisit Maius, item quas u. 6. 8. 9. 11. posuimus* **11** Enochilis *bpar Germ. Papias*: Enocilis *c. Paris. 7641. Class. Auct. ed. Maius 6, 522.* **14** *hanc glossam item u. 19. 21. omisit Maius* Epiphora *nos*: Epypra *v* | muccos *v* **15** Epithymicon *Maius* **18** estote discedite *libri*.

2 edurum] *fortasse ex* eduram *corruptum et ad Virg. G. 4, 145. referendum est* **3** efferre pedem] *refer. ad Virg. A. 2, 657* **5** elabitur] *refer. ad Virg. A. 5, 151* **8** eminus] *haec glossa ex Papia intelligi potest, ubi haec leguntur scripta*: Eminus, procul, ex interuallo: cominus, proxime, non longe, prope. **10** enigmaneum] *pro* aenigma *dictum uidetur esse, sicut* poemaneus *carmen poeticum significat.* **14** epiphora] *lib. gloss.* Epiphora, lippitudo oculorum.

Execratio, maledictio.

Exeffeta, senex uacua [uel uacuata].

Exempta, exclusa, expulsa.

Exemptis, sublatis, ademptis.

Exequere, exercere.

Exercet, excitat, fatigat.

Exesus, euacuatus, gracilis.

Exodiarius in mimis est turpitudo delectabilis.

Expilatores, alienae hereditatis subuersores.

Extima, extrema

Extorum, intestinorum. 'extorum' dicere debemus, non 'extarum'.

Extrinsecus, foras.

Exuri dicitur, de quo nihil superest ex incendio. unde quod superat, ustum.

Exuuiae, exinanitas.

F

Facie, faciam, ut dice, dicam.

Faciem, imaginem, pulchritudinem.

Falcato curru. antiqui dextra laeuaque currus falcatos habebant, cum gladiis haerentibus rotis bellabant.

---

3 exclusa *a*: inclusa *bv* **5** Exsequere *m u. 6. 10. 17. omisit Maius.* **6** Exercit *bva* **8** detestabilis *Germ.* **10** Extima uacuata uel tenuis extrema *libri* **14** ex incendio *scripsi*: incendii *libri* **16** exinanitas *nos. cf. de hoc uocabulo Cangii glossarium*: exinanites *pa*, exinaniter *bv* **17** Facie *scripsi* (*cf. Neue, Formenl. d. l. Spr. II p. 348*): Face *v* | ut dice dicam *nos*: ut dicam *v*.

3 exempta] *ref. ad Virg. 1, 216.* **5** exequere] *cod. lat. Mon. 14252*: Exsequere, agere, conponere. **6** exercet] *ref. ad Virg. A. 1, 430.* **8** exodiarius] *idem uidetur esse quod* exodium. *u. G. Loewe Rhein. Mus. 1875 p. 61.* **14** exuri] *ref. ad Virg. A. 1, 39. Servius*: Exurere. exuri dicitur, de quo nihil superest. **19** falcato curru] *ref. ad Stat. Theb. 7, 712.*

Fatim * *. fatim enim 'multum' significat, sed non solum per se ponitur, ut affatim.

Fellibrem, adhuc lacte uiuentem.

Finitimus, proximus, uicinus.

Finxit, fecit, formauit.

Fletus. pluraliter dicitur 'fleti' et 'fletus'.

Fomes generis masculini, eo quod foueat ignem, unde et foculus.

Fomites, feni manipulos iuncti radicibus, aut nuces pinnatas.

Fora pluraliter dicendum significat theatrum.

Foret et praeteriti et praesentis et futuri est temporis, quia 'esset' significat. * * est aduerbium.

Frameae hastae longissimae sunt, quibus etiam nunc Armorici utentes hoc nomen tribuunt. quidam ita etiam gladios significari putant.

Frondes de arbore per d, quia facit frons frondis. frontes de homine per t et s, quia facit frons frontis. sic et sors sortis seruatur in scribendo et ut superius utrumque producitur: 'sorte tueri'.

---

1 per *Papias*: super *vpa* **2** ponitur *Papias*: erit *vpa* **4** Finitiuus *Maius* **6** Flexus — flexi — flexus *Maius* **7** Fomes *scripsi*: Fomi *libri* **8** foculus *nos*: focibus *vp* **9** *hanc glossam Maius omisit*: Fomites *nos*: Fomes *libri* | aut nuces *Loewius*: ut noces *va*, ut noceas *mr* **10** pinnatos *uel* pennatos *libri* **11** pluraliter *v*: plura inter *pa* | significat *nos*: sicut *libri* **13** *supplendum uidetur* foris *uel* foras. **17** frons *nos*: fons *v*, *om. pa* **18** fronts[e] *p*: fronts *a*, *om. v* | per t et s *Maius*: per s *v*, p et s *a* **19** [s]uerbatur *p*: uerbatur *va* | in his scribendo *v* | et ut *nos*: sed et *a*, sed *vp*

1 fatim] *cf. Seru. ad Virg. A. 1, 123.* **5** finxit] *ref. ad Virg A. 2, 80.* **6** fletus] *ref. ad Virg. A. 2, 271. uel 3, 344.* **9** fomites] *pinnatas = pineas, nam* pinnatum *id dici potest, ubi folia quasi pennae coaceruata sunt. cf. Plin. N. H.* 16, 10, 19. abies folio pinnato densa. **12** foret] *cf. Seru. ad Virg. A. 3, 417.*

G

Gargaron ab Homero dictum.

Gaesatorum non nomen gentis est sed mercennariorum Gallorum, si quidem alibi legi non 'gaesatorum', sed 'gaesorum' scriptum.

Gestatiuncula, res minuta.

H

Hala, hircosus, olens.

Hariolatur, diuinat.

Hariolus, iocabundus.

Haut clam fuit, non latuit, non fefellit.

Hautne, nonne.

Heia te, exhortatiua uox. heia hoc est age.

Heiula, plora, plange.

Heroibus, uiris. recipiat latinitas, ut dicamus 'heroibus', quamquam multi heroas non solum 'uiros', sed etiam 'uiros fortes' posuerunt. alii non solum 'fortes uiros', sed 'diuinos' siue 'diuino sanguine natos' siue 'semideos' intellegi uoluerunt. et hoc inde dixerunt aut propter nobilitatem generis aut propter bona aliqua ab eis utiliter instituta id est aut legum aut morum.

Hironia est, cum *qui* per simulationem diuersum quam dicit intellegi cupit. fit autem, cum laudamus eum,

---

1 Homero *scripsi*: emero *vp* **2** Gaesatorum *Orosius*: Gestarum *libri* | gentis *p*: gestis *vam* **3** gallarum *vm* **4** gaesorum *nos*: gessurum *vpa*, gessarum *m* **5** Gestiuncula *Papias gloss Isid.* **8** Hareolis *p* | iocabundus *scripsi*: iocundus *v*, iucundus *p* **9** Haut *et* Halit *libri* **11** Heia *nos*: Haio *et* Heio *libri* | heia *Maius*: eia *vmr* **13** recipit *p*. **20** *Maius hanc glossam sub I posuit.* qui *addidi.*

1 gargaron] *Hom. Il. 14, 292. etc.* **2** gaesatorum] *Paul. Oros.* 4, 13. Gaesatorum, quod nomen non gentis, sed mercennariorum Gallorum est. **20** hironia] = *Isid. 2, 21, 42.*

quem uituperare uolumus, aut uituperamus quem laudare uolumus. utriusque exemplum erit, si dicas amatorem reipublicae Catilinam, hostem reipublicae Scipionem.

Humanitus habetur in latina lingua et recepimus, sicut diuinitus, sicut imitus uel cetera his similia. ea declinatione dicendum est etiam humanitus.

Hymnus, carmen in laudem domini.

I

Iantaculum gustare, quod Graeci ἀκράτισμα uocant.

Ianua aditus est primus in domum uel uillam. ostium aditus in quemlibet locum, similiter ut ianua est uel clausa *uel patens: fores autem et ualuae ipsae claustra sunt*, sed fores quae foras uertuntur, ualuae quae introrsum aperiuntur et sunt duplices conplicabilesque. portae uero propriae murorum dicuntur.

Ianuarius mensis a Iano dictus, cui fuit a gentilibus consecratus, uel quia limes et ianua sit anni. unde et bifrons idem Ianus pingitur, ut introitus anni et exitus demonstretur.

Ictus singulari numero. plurali autem 'ictuum', non 'ictorum' dicitur.

Identidem, idem ipsum.

---

1 aut uituperamus quem laudare uolumus *suppleuimus ex Isidoro* **5** Humanitus *scripsi*: Humanitas *vp* | recipimus *p* **6** diuinitus *nos*: diuinitas *libri* | uel *v*: ut *p* | ceteris his similia *libri* **9** Ientaculum *Maius*, Iantaculum *omnes libri* **12** uel patens — claustra sunt *addidimus ex Isid. D. V. 308.* **13** claustra *vp*: clausae *Isid.* **16** gentilibus *pIsid.*: gentibus *v* **22** idem *vPapias*: *om. p*

10 ianua] = *Isid. D. V. 308. cf. Isid. 15, 7, 4* **16** ianuarius] = *Isid. 5, 33, 3.* **22** identidem] *Prisc. XII 589, 22. K* dicimus enim identidem id est 'idem et idem', cuius obliqui deficiunt casus. *lib. gloss.* Identidem, idem ipse uel ille.

Ilicet, scilicet, sine dubio.

Ilico, confestim, mox.

Imaguncula, similitudo modica, quasi imago in gemma sculpta.

Immolat, uictimam fundit aut sacrificio deum honorat.

Inbelles, qui pugnam ignorant.

Incentiua, cupiditatis accensio.

Incertas umbras, motu arborum inconstantes, ut: '*incertas* Zephyris motantibus umbras'.

Incontinens, luxuriosus, gulosus, uanus.

Inedia, stupor dentium.

Inigebat, agebat.

Innectit, inligat.

† Inquires, indiceres.

Instar ueteres pro similitudine ponebant. inde et 'instaurare' dicebant.

Intemperantia, leuitas uel audacia.

Interfiat, interficiatur.

L

Laureatus, honore qualicunque muneratus.

Lego dicimus librum. dicimus et 'lego' id est custo-

---

3 Imagiuncula *Papias* **6** ignorant *p*: ignorabant *vmr* **7** cupiditatis *scripsi:* cupiditas *vm (u. 1. 2. 7. om. Maius)* **8** Incertas *Virgilius*: Incretas *vmr* **9** incertas *ex Virgilio Kettnerus addidit* **12** Inigebat *scripsi*: Ingebat *p*, Iiebat *v* **13** Innectit *v*: Incutit *Maius* **14** Inquires *vmr*: Inquireres *Maius, an* Inquieres *ab inquam?* **18** interficiat (—cit) *libri. hanc glossam omisit Maius* **19** muneratus *scripsi*: munitus *libri.* **20** librum *Sergius:* librorum *codices*

1 ilicet] *Fest. Paul. 164, 15.* Ilicet, sine dubio. **5** immolat] *refer. ad Virg. A. 10, 541.* **6** inbelles] *refer. ad Virg. G. 3, 265.* **8** incertas umbras] *refer. ad Virg. E. 5, 5.* **12** inigebat] *cf. Fest. Paul. 110, 10.* **13** innectit] *refer. ad Virg. A. 7, 418.* **15** instar] *refer. ad Virg. A. 6, 866.* **20** lego] *eadem fere ap. Serg. Explan. in Don. II 552, 26. K. (Virg. A. 7, 775. G. 3, 212.)*

diendum commendo. hinc uenit delego relego. Virgilius: 'et nymphae Egeriae nemorique relegant'. et de armentis sic: 'in sola relegant'.

Longius, plus.

Lupercal sic appellatur locus, ubi Pan deus colitur, cui sollemnia ludicra celebrabantur, quae 'lupercalia' uocantur.

Lupi ceu, quasi lupi.

M

Macellarius, lanista qui carnes ferro laniat.

Macrologia longa oratio graece.

Maeotide, palude Scythiae.

Magalia quasi magaria, quia mager punica lingua uilla dicitur. sunt ergo una littera conmutata l pro r magalia tuguria, id est rotunda aedificiola in furnorum modum parua, quas alii casas uocant.

Mage ponitur pro magis. sed hoc poetica licentia, non in prosis.

Manticulare, fraudare uel furari.

Manubiis. aut praeda est, quam uictor exercitus de hoste reportat, aut spolia populorum, quae nihilo minus uictor exercitus tollit. nam hoc significat manubiis 'quasi manus uim passis'.

---

2 nemorique relegat *Virgilius A. 7, 775.* in sola relegant *Virg. G. 3, 212.* **6** celebrabantur *Maius (p)*: celebrantur *mr, om. v* **11** palude *scripsi*: palus *libri. hanc glossam om. Maius* **13** sunt *nos*: erit *libri* **16** non *lexicon Salom. typis expressum*: quam *vpam*, que *rw* **18** furari *aPapias*: furare *vp* **21** tollet *va* **22** manus uim passis *Maius*: mane sui passus *va*

5 lupercal] *ref. ad Virg. A. 8, 343.* **8** lupi ceu] *ref. ad Virg. A. 2, 355.* **12** magalia] *ref. ad Virg. A. 1, 421 etc.* **16** mage] *ref. ad Virg. A. 10, 481.* **18** manticulare] *lib. gloss.* Manticulare, fraudare uel furto decipere. *cf.* manticulari *ap. Fest. 133, 20.*

† Meauires, in quo uirtus est mea.

Mefitis dea, quae pluribus Italiae locis religiose colitur et in Lucanis quoque. cuius deae fons est, ex quo grauissimus odor redditur sulphureus.

Melotis in Regum libro pellis simplex qua monachi aegyptii etiamnunc utuntur, ex uno latere dependens.

Mentis. genitiuum casum pro nominatiuo posuit. debuit enim dicere ‘mens’.

Mergier, mergi.

Metafora uerbi usurpata transgressio.

Milium genus seminis minuti per i.

Miniatus, rubicundus.

Miscillanei, commixticii.

Monarchia, unius principatus.

Monostichon, opus unius uersus.

Monumenta, posteritatis memoriae continentes uel memoriae signatae.

Monumentum, sepulchrum siue memoria, quod ideo appellatum est monumentum, ab eo quod moneat mentem et memoriam ingerat.

Moralis dicitur omnis auctor, qui res aptas et conuenientes moribus scribit.

Motacismus m litterae geminatio.

Munifex, qui munera fert.

---

1 *fort.* Meracus uir est, in quo uirtus est mera. *hanc glossam om. Maius* **10** transgressio *vp*: translatio *Isid. 1. 37, 2.* **12** rubricatus *Papias* **13** Miscillani *libri* | commisticii *Papias* **15** unus *vm* **16** posteritatis — continentes *scripsi*: posteritas — continens *libri* **17** signatae *nos*: signatas *vp*, signata *mr* **22** scribit *p*: scripsit *mr* **23** Motacismus *vp*: Moitacismus *mr*

2 mefitis] *ref. ad Virg. A. 7. 84.* **5** melotis] = *Euch. instr. 2, 10.* **7** mentis] *Prisc. VII 341, 20. K.* cuius simplex quoque ‘mentis’ Ennius protulit in Epicharmo (5. 6.): ‘Terra corpus est, at mentis ignis est’ pro mens.

Murgiso, callidus, murmurator.

Mutilo, imminuo. generis actiui uerbum.

N

Naidas comitatum esse Veneri aiunt pagani.

Nautam et nauitam. haec distinctio est: nauita poeticum est, nam rectum est nauta, sed causa metri a poetis una littera addita est.

Neminis, nullius.

Nenias, deliramenta, sed proprie carmen funebre.

Neutrum dicimus ad hoc ipsum genus, ut puta: 'neutrum uolo pecus' 'neutrum scamnum' id est nec hoc nec illud, id est nec masculinum nec femininum. neuter etiam ad masculinum genus refertur, ut puta: 'neuter amicorum uenit' id est nec hic nec ille. et neuter dicitur de duobus, si neutrum uis dicere. sic ergo dicimus et uter et utrum, ut puta: 'utrum uis eligere? aut hoc aut illud?' uter autem sic uerbi gratia: 'uter uult, ueniat ad me' id est qui uult de duobus.

Noctipugam obscenum, quod quasi noctibus conpungatur.

Noluntas ab eo quod nolumus, sicut uoluntas ab eo quod uolumus.

---

1 Murgiso *pamr*: Murgison *v*, Murgisso *cod, lat. Mon. 14252 saec. VIII Papias* | morator *Dacier.* **2** uerbi *vpa. hanc glossam om. Maius, item sequentem.* **5** metri causa *Maius* **8** deliramenta *ar*: deleramenta *vpm* **10** uolo *Maius (p)*: nolo *vmr* **15** elegere *v* **18** Noctipugam *v*: Noctipuga *Maius (p)*, Noctipugum *Class. Auct. ed Maius 6, 535.* Noctifugam *alii codd. Vat. u. Class. Auct. 6, 535.* | pungatur *Papias*

4 nautam et nauitam] = *Isid. D. V. 390. cf. Isid. or. 19, 1, 5.* **7** neminis] *Fest. 162, 30. Non. 143, 14. Charis. II, 159. 26. K.* **18** noctipugam] *Fest. 174, 8.* Noctilugam (*Scaliger:* Noctipugam) Lucilius cum dixit, obscenum significat.

N o s t r a t e id est de patria nostra, ut puta si dicas: 'nostrate uinum' 'nostrates feminae' 'nostrates uiri'.

N o t u s, qui de adulterio nascitur. notus dicitur, quia 'nota' culpa, turpitudo, macula est uel infamia. potest etiam de filiis concubinarum dici notus.

N o u a m s t r i n g a t f a b r i c a m, firmam et insuperabilem faciat.

N u d u s, destitutus.

N u l l u m pro 'nec id'.

N u n c, modo.

N u n c u p a r e, nominare.

O

O b d e n d i, claudendi. obdendi pessuli, quod claudi diligentius seruanda consueuerunt.

O b l e c t a t u r quasi cum lacte, cum fraude, ut Terentius: 'nisi me lactasses amantem'. Unde et 'oblectare' dictum est.

O b l i m e t, sulcos obducat, id est limo repleat.

O r a m a, uisus somni.

P

P a r e c b a s i s, egressio.

---

1 nostrates feminae *nos*: nostrate feminae *p*, nostrate (nostras *mw)* femina *vmw* **2** nostrates *utroque loco scripsimus*: nostrate *vp*, nostras *mr* **3** Notus *vp*: Nothus *mr* **5** et ḍẹ filius *v* **9** pro nec id *scripsi*: pronicit *libri*, *hanc glossam om. Maius*, *item u. 9. 10. 17. 18.* **14** Oblectator *Isid.* **17** Oblimet *Virgilius*: Oblimes *vp*, Oblimat *mr* **19** egressio *scripsi (cf. Quint. 4, 3, 12. Παρέκβασις* est . . . alienae rei, sed ad utilitatem causae pertinentis, extra ordinem excurrens tractatio): adgressio *libri*

9 nullum] *Papias*: Nullus abnegatiuum est omnium, quae per 'id' significari possunt. **14** oblectatur] = *Isid. 10, 200. cf. Ter. Andr. 4, 1, 23.* **17** oblimet] *ref. ad Virg. G. 3, 136.*

Parile, par, simile, aequale.

Patronymica dicuntur eo, quod trahuntur a patribus, ut Tydides Tydei filius, Aeneades filius, quamuis et a matribus et a maioribus dicuntur.

Peiuro peiuras peiurat facit uerbum, quamuis ‘periurus’ nomen dicitur. iurat uero ‘eierat’ et ‘deierat’ facit *id est* ualde iurat uel deos [quasi per deos] iurat. tamen interdum ‘eiurat’ et ‘deiurat’ aliquis extulit.

Periodus clausula siue circuitus. nam colon totus uersus est, commata autem ipsae incisiones pedum, periodus uero tota sententia.

Persola, persona uilis.

Piaculum, peccatum. rursus et sacra, quae purgant peccatum, piacula dicuntur, unde quidam sacrificia piacula dicunt.

Piissimum apud nos antiqui dicere noluerunt. nam ‘pius’ positiuo, ‘magis *pius*’ conparatiuo, non habet superlatiuum, et re uera, cum ipso positiuo perfectum sit, ut si uelis dicere: ‘hic inmortalis’ ‘ille inmortalissimus’.

Piratae sunt praedones maritimi ab incendio nauium transeuntium quas capiebant, dicti. nam πῦρ ignis est.

---

1 Parile *nos*: Pirile *libri* | par simile aequale *nos*: pas. sa quile *v*, pars simile aquile *mr*. auis similis aquilae *Maius* **4** dicuntur *vp*: ducantur *Isid. hanc glossam de patronymicis om. Maius, item u. 5. 12.* **5** periurus *p*: peiurus *v* **7** id est *addidi* **8** eiurat *v*: iurat *p* | et deiurat *scripsi*: et et iuret (iure *p*) *vp* | aliquis extulit *nos*: alicuius tulit *libri* **9** colon *p*: cola *vmr* | totius *p* **12** Persola *vp*: Persolla *r* | uilis persona *r* **13** sacra quae purgant *Maius*: sacrum quod purgat *vmr* **14** quidam *vm*: quaedam *pr* **15** dicuntur *pr* **17** positiuum *p* | pius *nos addidimus* | conparatiuum *v* **18** ipsum positiuum *p* | perfectus *v*

2 patronymica] = *Isid. 1, 7, 20.* **21** piratae] = *Isid. 10, 221.*

Poemaneum, carmen poeticum, generis masculini.

Poeta, uates.

Poeticus, subaudi ‘liber’ uel ‘cantus’.

Pollinctum, funeratum aut sepultum. pollinctores enim funeratores dicuntur.

Polylogus, multiloquus, id est uerbosus uel uaniloquus.

Polyptoton, diuersis et pluribus casibus uariata oratio.

Pomonum huius pomoni apud Latinos nihil est, sed Pomona est dea pomorum, interdum pro ubertate pomorum μετωνυμικῶς ponitur. quodsi sic est, haec Pomona Pomonae Pomonam et ab hac Pomona facit, pluralem non habet.

Porro, *tum* autem, aduerbium temporis.

Portendere, significare aliquid de futuris, id est porro tendere. unde et portenta dicuntur, quae significatu suo aliquid futurum ostendunt.

Portuosa loca dicimus, ubi multi portus sunt, id est nauium stationes.

Praeceps accusatiuo casu locum altum et periculosum dicimus, ex quo praecipitare quicquid possit. si autem hominem significare uolumus, ‘praecipitem’ dicimus omnia sine modo et cum periculo peragentem.

---

1 Poemaneus *Maius* **4** funereum *p* **6** Polylogus *Maius*: Pollilocus *vm*, Polyloquus *Papias* | multiloquus *rPapias*; multilocus *vm*, *om. Maius* | uanilocus *vm* **9** huius pomonis *vmr* **11** haec *om. Maius* **12** Pomona — dea facit (fecit *v*) *vmr*: Pomona ae am a *Maius* (dea *praetermisi, quod est apertum additamentum)* **14** tum *nos addidimus* **20** casui iunctum *mr* **23** peragentem *scripsi*: pungentem *vmr*, pangentem *Maius*

1 poemaneum] poemaneus *et* aenigmaneus *uidentur aut posterioris aetatis uocabula aut ex scriptoris errore pro* poematium *et* aenigmatium *inducta esse.* **9** pomonum] *haec glossa fortasse ex genitiuo plurali male intellecto orta est. cf. lib. gloss.*: Pomones, pomorum custodes. **14** porro] *cf. Seru. A. 5, 600. Charis II 313, 7. K. Don. in Andr 1, 5, 43. 3, 4, 17. 4, 3. 16.*

Praecessit hiems. in temporibus melius dixit 'praecessit', nel quia aliud sequitur uel quod illud ipsum dicturus est. nam quod praeteriit, redire non potest.

Praeditus est aliqua re dotatus, aut honore aut ingenio.

Prae me fero deum, supra caput ingenii mei extollo deum.

Praepositiones, superpositiones. hae casibus seruiunt, hae loquellis.

Praesago praesagas praesagare facit et est primae coniugationis. praesagio praesagis praesagire, id est futura dicere, tertiae coniugationis est productae.

Praescribunt nobis, contradicunt.

Praesentiscunt uerbum est conpositae figurae, a sentiendo. sed modo 'ualde sentiunt'.

Praeses, rector prouinciae aut *qui* alicuius loci tutelam praesidialiter agit.

Praesidium, perfugium.

Praesignem, designatum iam ad aliquam dignitatem.

Praestigium 'praestigiator' facit, non 'praestrigiator'.

---

2 uel quia *p*: quia *vmr* **3** praeteriit *r*: praeterit *cet. libri* ¦ potest *Maius*: possit *vmr* **4** Praeditus *Maius*: Praedictus *vmr* | dotatus *nos*: detentus *vmr*, detemptus *p* **6** *hanc glossam omisit Maius* **9** hae casibus *scripsi sec. Charis*: haec usibus *p*. hanc usibus *v* **10** praesagus *vmr*: presagis *v* | praesagare *pm*: presagire *v* **11** praesagio praesagis *mr*: praesago *vp* **14** Praesent·sco *mr* **16** qui *addidi* **17** agens *Maius conicit* **20** praestrigiator *scripsi*, *quae uocabuli forma in glossariis saepenumero reperitur scripta*: praestringent (praestringerent *v*) cetera *pv*

8 praepositiones] *Charis. II 230, 6. K.* Praepositiones aut casibus seruiunt aut loquellis **13** praescribunt] *uox forensis et significat 'exceptionem opponere'. cf. Quint. 7, 5, 3. et declam. 12, 12. Macer dig. 47, 15, 3.* **14** praesentiscunt] *lib. gloss.* Praesentiscat, ante, ex toto sentiat. **16** praeses] *cf. Isid. 9, 3, 28.* **20** praestigium] *lib. gloss.* Praestigiator, magus, a praestringendo mentes hominum.

Praeuertit et Praeuertitur dicimus, quia uerbum est actiuum. loco suo tamen et pro se inuicem uerba ponuntur, ut in Virgilio: 'uolucremque fuga praeuertitur Hebrum', pro 'praeuertit'.

Priuati dicuntur, qui sui iuris sunt.

Profundissima pax dicitur iugis, continua, diuturna, plena, perennis.

Progeniem, sobolem.

Promptuarium sonantius est quam 'promptuarius'. item melius est 'sanctuarium' quam 'sanctuarius'. multa enim, licet similia sint, tamen diuersis sonis eduntur.

Properiter, propere.

Protinus aduerbium temporale est, ut mox, continuo, statim.

Psile, siccitas.

Pubescunt, crescunt. pubes enim iuuentus dicitur, quae in cremento est.

Pugillor pugillaris pugillatur. uerbum est deponens.

Putei loca defossa, ex quibus hauriuntur aquae, et sunt generis masculini.

Pyxis pyxidis pyxidem, quam nos corrupte 'buxidem' dicimus.

---

1 *hanc glossam om. Maius* **4** Hebrum *Papias*: Ebrum *vmr*, Hebrum *uel* Eurum *Virgilii libri* **4** praeuertit *nos*: uertit *libri* **5** qui sui *p man. 2. ualde antiqua*: quē sis *pv* | Juri *p man. 1.* **7** perennis *nos*: per omnes *libri* **8** subolem *v* **10** summarium quam summarius *falso Maius* **17** incremento *w* **20** Pyxis pyxidis pyxidem *Maius*: Pixis pixidis pixidem *libri*

1 praeuertit] *refer. ad Virg. A. 1, 317. cf. Seru. ad h. l.* **15** psile] *Prisc. de accent. 520, 15. K.* Psile, quod interpretatur siccitas uel purum, uel ubi h littera deesse debet, hac nota demonstratur ⊣

Q

Quid nisi, quare non.

Quocirca pro 'idcirco' ponitur, id est qua de re, ut si dicas: 'ille mihi rem iuris mei indebite peruasit. conueni, sine lite non reddit. quocirca, iudex, tu mihi eam iustitia tua restitui iube'.

Quodpiam, quoddam, et est neutri generis.

R

Rationes huius modi saltabat, similitudo a theatro et praecipue pantomimis, qui sub aliis manibus alias historias, aliud * * intellegi uolunt.

Recidit, incidit.

Regionem intra degit poetico more fecit. nam si uolumus rectius loqui, 'in regione degit' aut 'intra regionem degit' dicimus. et postposuit praepositionem et perdidit uim suam, ut in arte legimus.

Regumen, regimen, unum est. sed propter euphoniam melius 'regimen'.

Relegit, sublegit.

Responsum et responsorium: responsum quod datur, responsorium uerbum aut uersus, qui saepe iteratur.

Ripatim 'per riparum loca' designat. ita enim dicimus ripatim quasi uicatim, quasi ostiatim, quasi minutatim, et cetera talia.

---

1 Quid nisi *v*: Quid nisi *m*, Quidni *pr* **3** mei *nos*: mihi *v*, *om. Maius* | indebite *scripsi*: inde uite *v*, indebili *Maius* **6** Quidpiam quiddam *Maius* **10** Recedit *Maius.* **12** in *p*: *om. vmr* **15** unum *vmr*: idem *p* **17** Relegit *hanc gl. om. Maius* **21** per riparum *Papias*: ripanea *vp* **22** hostiatim *vmr*

1 Quid nisi] *Fest. 257, 31.* Quid nisi usurpauisse antiquos, testis est Afranius in epistula: 'me auctore matre abstinebis. quid nisi?'

Rura numero plurali. singulari uero 'rus' dicimus, et est generis neutri.

S

Salpinga serpens quae non videfur.

Sancit, confirmat.

Sandapila feretrum uel loculum, in quo defuncti portantur. sic enim de Domitiano imperatore legimus: 'cuius cadauer populari sandapila per vespelliones exportatum atque ignominiose sepultum est.

Scintillam per s et i dicimus, non per s et e 'scentillam'.

Scropea, prominentia saxa in mari et, ut melius intellegi possit, acuminata.

Secreti, diuisi, separati.

Solus solius soli solum solo facit per omnes casus.

Sparsas oues, quasi uarias.

† Sterologia, postloquium.

---

3 Salpinga *schol. Bern. ad Lucan. 9, 837.*: Salpinta *vmrm*, Salpiga *Papias*, Solpunga Isid. *hanc glossam om. Maius.* **7** uespelliones *vmr*: vespilliones *Maius* **8** exportatum *Suetonius*: reportatum *libri* **9** s et *utroque loco om. Maius* **11** prominentia saxa *Maius*: prominentibus (prominantibus *v*) saxis *vmr* **16** Sterologia *vm*: Hysterologia *emendauit Maius, qui glossam sub lit. H posuit*

1 rura] *ref. ad Virg. A 1, 430, etc.* **3** salpinga] *huius uerbi scriptura est maxime uaria. Plin. 29 § 92.* Est et formicarum genus uenenatum, non fere in Italia. solipugas Cicero appellat, salpugas Baetica. *Fest. 301, 3.* Solipugna. *Solin. 4, 3.* solifuga *Isid. 12, 4, 33.* Solpunga serpens est, quae non uidetur. *gloss. Philos.* Solipuga. *schol. Bern. ad Lucan. 9, 837.* Salpinga, genus serpentis modici, quam Plinius dixit animal formicae simile, quod Hispania salpungas dicit. **4** sancit] *ref. ad Virg. A. 12, 200.* **5** sandapila] *Suet. Dom. 17.* Cadauer eius sandapila per uespillones exportatum. **9** scintillam] *ref. ad Virg. A. 1, 174.* **11** scropea] *ref. ad Virg. A. 6, 238.* **13** secreti] *ref. ad Virg. A. 6, 443.*

Strideo et Strido secundae et tertiae coniugationis, sed tamen melius secundae, quia crebrius stridere e producta quam e correpta effertur. strideo ergo 'strides' facit, strido 'stridis'.

Subrexerunt, erexerunt.

Suspendio se multauit, laqueo se interemit.

Syllaba, litterarum congregatio.

Syllempsis, cum et pro uno omnes et pro multis unus appellari solet.

Symbolum signum siue fides siue pecunia congregata, quam uiolare nefas est.

Synalipha, ubi duae syllabae conflantur in unam.

Syncope, detractio.

Syndesmos, coniunctio.

Synecdoche dicitur figura a parte totum ponens, ut Virgilius: 'puppesque tuae pubesque tuorum' pro nauibus et iuuentute.

Synonymia, plurinomium.

Syntomia, concisio.

Syrtes duo sinus Africae, qui nunc accedunt nunc recedunt, dicti figura graeca, quod trahere dicuntur.

T

Talione per unam l scribitur.

Tellus, Telluris, dea terrae.

---

2 *et* **3** e — e *scripsi*: de — de *libri* **8** Sillimsis *m* **11** quam *Maius*: quem *v*, quod *mr* **12** Synaloepha *Maius* **13** Syncope *item u.* *19* Syntomia *om. Maius* **15** pro parte *mr* **18** Sinonimia *v*: Synonyma *Maius*, Sinonima *m* | plurinomia *m* **22** unum *mr* **23** Tellus *addidi*

1 strideo] *cf. Seru. ad Virg. A. 2, 418. 4, 556.* **10** symbolum] *hoc loco duae glossae conflatae sunt. nam* symbolum *est signum uel fides*, symbola *est pecunia congregata.* **15** synecdoche] *Virg. 1, 399.* **20** Syrtes] *ref. ad Virg. A. 1, 146.*

Tellus. terra dicitur ‘tellus’, quia fructus eius tollimus.

Tetracolon, quadrimembris sententia.

Tetrametrum, quattuor pedum uersus.

Tetrarchia quarta pars regni dicitur.

Tetrasyllabum, quattuor syllabarum.

Thema, norma uel forma siue materia.

Thesis, positio graece.

Tomus, incisio graece.

Tonus, accentus.

Tribrachys, trium breuium.

Tricolon, trimembris *sententia.*

Triptota, trium casuum uarietas.

Tytthos trochaeos, syllaba post quartum pedem remanens.

Trisema, crassitudo.

Trochaeus, celer.

Tropus, locutionis modus.

Tyrannus, imperator, sed non uoto senatus aut conuentione populi romani aut consensu exercitus. et tyrannus dicitur ab eo, quod usurpat imperium.

V

Vellit praeteritum est, ut uello uellis uellit, uello uellisti uellit.

Vesperascit, uesperat. sic enim dicimus ‘vesperascit’, sicut albescit, sicut senescit, sicut iuuenescit.

---

3 *hanc glossam om. Maius, item u. 13.* **5** Tetrasyllabus *Maius* **7** graece *v*: *om. cet. libri* **10** Tribrachus *mr* **11** sententia *addidi. cf.* Tetracolon **13** Tytthos *scripsi*: Titos *vPapias*, Tytos *p*, Titus *mr* | trocheos *pPapias*: throcheus *v*, trocheus *mr* | in quarto pede *Papias* **15** Trisema *scripsi*: Trisesma *vpmr* Trissema *Maius* **18** cum uoto *Maius* **19** conuentione *scripsi*: cum uelle *libri* | cum consensu *Maius*

15 trisema] *fort. pro* trischema. *nam etiam ap. Dion. 18, 161 P.* σῆμα *idem est quod* σχῆμα. **21** uellit] *ref. ad Virg. E. 6, 3.*

Vicatim, uicissim aut per uices aut per singulos.

Vicissim, qui sibi inuicem succedunt. alioquin *in* operando aut *si* aliqui sibi inuicem aliquid mutuo praestant, uicissim id fieri dicitur.

Viriliter dicimus aduerbialiter, non 'uirile'. *uirile* enim nomen est.

Vipera genus quoddam serpentum. coleatus sic coit masculus: in os feminae inserit caput et illic impiam libidinem agitat. quae exagitata per feminam cum acriter fuerit, actus a libidine nimia conprimitur sicque trucidatur. cum uero conceperit partum, catuli perforato exesoque latere matris procedunt sicque fit, ut utriusque impii generis uel coeundo uel generando natura depereat.

Votissimum, quod iam dedicatum est uoto.

Votis in Capitolio rite nuncupatis, uotis in Capitolio solito more nuncupatis id est celebratis.

Vouet, optat, promittit. considerandum sane est, quia qui uouet, suum proprium uouere debet id est promittere.

---

2 in *nos addidimus, item u. 3.* si **3** aliqui *r*: aliquis *vm* | sibi *vm*: si *r* **5** uiliter *p* | uirile *m*: uile *vp* | uirile *addidi* **6** est enim nomen *m* **7** coleatus *scripsi*: quo late nus *v*, quod collatenus *Maius*, quod *mr* **9** quae *vp*: qui *m*, qua *rw* | femina *mrw* **10** actus *p*: ac tenus *v*, *om. mrw* **15** Votiuum *ci. Maius* | est uoto *Papias*: uotum *v*, est *Maius* **17** solito — celebratis *om. Maius*

7 uipera] *lib. gloss.* Vipera genus est serpentis uenenosae. Physiologus autem de uipera dicit: quomodo a capite usque ad pectus masculus est, ab pectore usque ad umbilicum femina est, ab umbilico usque ad caudam crocodili habet figuram. femina non habet in sinu suo foramen, et cum masculus uoluerit agnoscere feminam, effundit semen in os feminae et statim morietur masculus. dum autem creuerint in utero matris filii, comedunt matris uentrem et sic foras exeunt. *cf. Plin. N. H. 10 § 169. Seru. G. 3, 416. Isid. 12, 4, 10.*

Vulgus regulariter generis masculini est, Virgilius uero posuit et neutraliter.

X

Xenia, quod sunt praemia uel dona, per x scribendum.

Y

Ydillion, opus paucorum uersuum.

Ydin uidere graece.

Ypatia, consulatus.

Ypocondriarum id est praecordiorum.

Ypodiastole, subseparatum.

Ypostigme, subdistinctio, graecum.

Ypozeuxis, ubi in singulis sensibus singulae clausulae.

Z

Zaba, munimentum in proelio uirorum fortium.

Zaberna, ubi uestes ponuntur aut quodlibet aliud.

---

3 *haec glossa et quae sequuntur, in eo codice, quem Maius adhibuit, desunt.* **4** Ydillion *v*: Idylion *Papias* **6** Hypatia *Papias* | consulatus *Papias*: consulatum *v*, consulatim *m* **7** praecordiorum *scripsi*: praecordiarum *vmr* **8** Ypodiastule *mr* **10** ubi *Papias*: *om v*

1 uulgus] *ref. ad Virg. A.* 2, *99.* **7** ypocondriarum] *Papias*: Ypocondriae, ilia, Graeci uocant costas molles **11** zaba] *gloss. ar. lat. c. 710*: Zaba, lorica. *Papias*: Zabatus, cristatus, galeatus. **12** zaberna] *lib. gloss.* Zaberna, pera. *Papias*: Zaberna, arca uel armariolum.